

...tius timoratis quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque divinis vel extra prae-textu cujuscunque sententiae aut Censurae ecclesiasticae, suspensionis aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgatae, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit, in vel contra personam, Collegium, Universitatem Ecclesiam, aut locum, eorum à jure publicata, vel denunciata specialiter, & expresse. Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam à Canone adeò notorie, consisterit incidisse, quod factum non possit aliquà tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari. Nam à communione illius licet denunciatus non fuerit, volumus abstinere juxta Canonicas sanctiones.

XV. Tamen hujus Extravagantis nulla mentio occurrat in actis Concilii Constantiensis, neque de sinceritate aut veritate illius aliunde constare videatur, quam ex relatione S. Antonini & Doctorum qui ejus fidem verisimiliter sunt sequuti, nihilominus usus illius quasi communi Ecclesiae consensu receptus est, neglecto quoque tenore ejusdem extravagantis prout legitur Sess. 20. Concilii Basiliensis, quemadmodum notavit Suarezius De Censuris Disputat. 6. sect. 2. num. 5, dicens hanc formam usum totius Ecclesiae jam esse approbatam & receptam. "Et constat (ait) ex usu Gallicae, Germanicae &c. ubi Catholici sine scrupulo communicant cum haereticis publicis & schismaticis, & idem servari videmus in aliis regionibus inter Catholicos.

XVI. Ex hac extravagante usu totius Ecclesiae probata & recepta consequens est, excommunicatum sive ab homine sive à Canone, non esse vitandum, etiam in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra, prae-textu excommunicationis, nisi sententia vel censura fuerit in vel contra personam à Jure publicata vel denunciata specialiter & expresse.

XVII. Imò nec sufficit sententiam specialiter & expresse à Jure in aliquem esse pronuntiatam, ut hoc titulo sit vitandus, sed insuper requiritur, eum post sententiam publicè tanquam excommunicatum esse denunciatum. Hancque sententiam esse probabiliorè & in praxi sequendam, monet Suarezius loco citato numer. 8. "Quia consuetudo quae est optima legum interpretis, ita legem illam acceptavit, & interpretata est. Et praeterea quia id est maxime consentanea fini illius legis scilicet ad evitanda scandala &c." Rectè quoque notat, quod extravagans non requirit tantum, ut sententia specialiter & expresse in aliquem sit lata, sed etiam ut sit publicata vel denunciata. "Quae duo verba (ait) non ponuntur disjunctivè tanquam diversa, sed tanquam aequipollentia, nisi quod participium publicata, propriè refertur ad censuram, vel sententiam: Denunciata vero ad personam.

XVIII. Additum fuit, prae-textu excommunicationis; qua interdum à perceptione Sacramentorum praesertim Eucharistiae ut publicis & notorius criminiosus repellendus esset, juxta tradita parte 2. tit. 5.

XIX. Ab hac regula non vitandi excommunicatum nisi denunciatum excipitur in hac extravagante (uti refertur sub nomine Martini V.) is quem consisterit pro sacrilega manuum injectione in Clericum in sententiam latam à Canone incidisse, sed adeò notorie, quod factum non possit aliquà tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari.

XX. Cum autem multa intervenire queant, quae vel facti notorietatem obscurant, aut ipsum factum à sacrilegio sive sacrilega manu injectione quasi diabolo fuadente facta, ut loquitur Canon excusare possint, varii quoque sunt casus, quibus juxta hodiernam disciplinam, Percussorem Clerici non esse vitandum tradunt Doctores; uti videri post apud Suarezium dicto loco.

XXI. Ulterius cum vitatio excommunicatorum, praesertim in civilibus multum dependeat à jure positivo humano: ac pleraque sint merè disciplinae, optimum est, se in hoc puncto praxi & consuetudini Ecclesiarum & locorum, in quibus versamur, conformare.

CAPUT V.

Excommunicatio non ferenda sine gravi causa; & an injusta sit servanda vel timenda.

1. Excommunicatus absconditur à Corpore Ecclesiae.
2. Hinc excommunicatio reputata semper fuit poena gravissima.
3. Hanc noluerunt Canonibus infligi nisi pro delicto mortali eoque enormi.
4. Multum excedunt Praelati, qui pro re temporali & levi excommunicationem infligunt.
5. Verat & Synodus Tridentina Monitoriales seu excommunicationes ad finem revelationis ex levibus causis concedi.
6. Haec excommunicationes in Belgio vix nota, & quae haurumorigo?
7. Dum in Canonibus subinde occurrit excommunicatio pro levi culpa intelligitur species excommunicationis minoris.
8. Crimen dignum excommunicatione non tantum debet esse grave, sed & probatum.
9. Quamvis aliquando imposita fuerit poenitentia publica pro delictis oculis, nunquam tamen excommunicatio.
10. Canon Carthaginensis iubens Episcopo excommunicare illum, quem scit ex secreta confessione criminiosum.
11. Potest tamen lex eum interdicere communionem.
12. Excommunicatio sine justa causa lata dicitur injusta; nec per eam ligatur excommunicatus coram Deo.
13. Nec per hanc excommunicationem leditur.
14. Potius obest excommunicatio, quam excommunicatio.
15. Plus timeri debet peccatum quantumvis leve, quam injusta excommunicatio.
16. Judaei metu excommunicationis Christum fateri non audentes.
17. His similes Christiani qui eodem metu veritatem erubescunt.
18. Excommunicatio quo sensu timenda?
19. Exponitur Textus S. Gregorii.
20. Excommunicatio in publica nunquam servanda, licet scintilla esse injusta.
21. Interdum etiam publice contemni potest.
22. Meritorium est pro bono pacis ferre patienter poenam excommunicationis injustae.
23. Quod suo tempore frequens dixit Augustinus, quomodo & hodie non avosiat.

I. **L**X dictis capite praecedenti intelligimus per excommunicationem majorem excommunicatum abjici & rescindi ab Ecclesia tanquam putridum membrum, atque reputari tanquam Ethnicum & Publicanum.

II. Hinc nemo dubitaverit, poenam excommunicationis esse admodum gravem, imò inter omnes poenas gravissimam, qui serio attenderit, quid sit ab Ecclesia abscindi.

Scribit S. Cyprianus Epist. 62. "Tunc quidem gladio occidebantur, quando & adhuc circumcisio carnalis manebat. Nunc spirituali gladio superbi & contumaces neque cantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere, fors possunt, cum Domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.

Et S. Hieronymus Epist. 1. "Nunc inobediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia rabido demone, num ore discerpitur." Unde nec dubitat S. Augustinus dicere lib. De Correp. & Gratia cap. 15. excommunicationem esse poenam gravissimam.

III. His omnibus insistens Concilium Meldense apud Gratianum Caus. 11. q. 3. Can. 41. Anathema dicit esse aeterna mortis damnationem, & non nisi pro MORTALI, ait, debet imponi crimine.

Rectè proinde Synodus Arvernensis apud Grat. dicto loco Can. 41. ait: Nullus Sacerdotum quemquam rectè fidei hominem pro parvis & levibus causis à communione suspendat. Quod ipsum & Apostolus ostendit, dum prius quam incestuosum Corinthium sathanæ traderet, criminis atrocitatem exaggerat dicens: Audietur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes.

IV. Quidni ergo dicamus cum pio ac erudito Joanne Gersono, Praelatos illos qui pro temporalibus vitandis aut politicis incommodis conservandis, excommunicationes

passim proferunt; adeoque aeterna mortis damnationem, similes esse illi, qui volens abigere muscam à fronte vicini, eam secure percutiens vicinum stolidius excerebravit; aut ei parem esse dixerim (ait) qui studens curationi modici vulneris in pede equi, pedem confestim abrumpit, eoque quumque peremit.

V. His consonat Synodus Tridentina Sess. 25. cap. 3. De Reformat. praecipiens, ut "excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu substractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo decernantur; & tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae ejus animum moveat; nec ad eas concedendas cujuscunque saecularis etiam magistratus, auctoritate adducatur; sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona aut tempore eas decernendas esse judicaverit.

VI. Cum similes monitoriales, & excommunicationes in Belgio vix nota sint, de iis earumque forma & origine nihil dicam; videri poterunt Piasius in Praxi parte 2. cap. 4. & Carolus Fevretius De Abusu lib. 7. cap. 2. una referens quis respectu harum monitorialium sit usus Galliae; item Morinus De Sacramento Poenit. lib. 2. cap. 7. qui & ibidem ait has excommunicationes sive monitiones ad finem revelationis esse reliquias veteris disciplinae quae cogebat Fideles ad denuntiandum aliorum peccata occulte, hoc tamen una monens, quod antiquus modus cogendi ad revelandum, multò esset acceptior & clementior, cum totus (ait) in salutem proximi vergeret, nullumque ex eo temporale emolumentum Acculator & Judex efflagitarent, aut etiam sperarent, sed solum animae conversio nem & curationem attenderent.

VII. Interim sat significat Synodus Tridentina, nequaquam ex levibus causis excommunicationem esse infligendam: convenitque inter Theologos & Canonistas, poenam hanc utpote gravissimam infligendam non esse, nisi propter peccata mortalia, eaque graviora.

Quod si interdum Concilia aut Patres excommunicationem infligant, aut decernant pro levi causa, tunc juxta phrasim ejus aetatis excommunicatio accipienda pro una è minoribus tunc satis usitatis, & de quibus egimus cap. 3. ut dum in Concilio Carthaginensi IV. Can. 24. excommunicandus esse statuitur, "qui Sacerdote verbum faciente in Ecclesia egressus de auditorio fuerit." Quis credat pro tam levi causa quemquam ab Ecclesiae corpore abjiciendum tanquam Ethnicum & Publicanum?

VIII. Nec tantum grave crimen requiritur in excommunicatione, sed insuper ut in judicio sit probatum.

Cum enim in excommunicatione majore seu anathemate interveniat externum Ecclesiae judicium, ipseque excommunicandus invitus ac publicè expellatur è societate Fidelium, crimen non tantum grave, sed & publicum & in foro externo sat probatum sit oportet. Ubi, ait Origenes Hom. 20. in Josue, peccatum non est evidens, ejicere ab Ecclesia neminè possumus; ne forte eradicantes zizania eradicemus & triticum. Utque plura, quae apud Antiquos his familia passim occurrunt, permittamus, in Cap. 48. De Sent. excom. in Concilio Lateran. sub Innocentio III. praecipitur expresse, ut caveat Praelatus diligenter ne ad excommunicationem cujuscunque absque manifesta & rationabili causa procedat.

IX. Et certè quamvis nonnulli cum Morino lib. 5. De Poenit. cap. 9. & seq. rectè sustineant, per mille annos poenitentiam publicam, seu excommunicationem medicinalem etiam pro peccatis occultis fuisse impositam, nemo tamen dicere ausus hactenus fuit, aliquem invitum ab Ecclesia tanquam rebellem expelli potuisse ob crimen occultum ipsi soli Confessario notum.

X. Unde in Concilio Carthaginensi VII. anno 419. statutum fuit Can. 6. "Item placuit ut si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo pro-

pria conscientiae se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.

XI. Extat apud Gratianum Caus. 6. q. 2. Can. 3. sub nomine Concilii Africani; notantque ibidem Correctores Romani, in Africano Concilio post verbum communicare sequi: SECRETE tamen interdicit ei communionem, donec obtemperet. Adde quae notavi in tractatu Historico-Canonico ad hunc Canonem.

XII. Si excommunicatio justà causà sit destituta, ipseque qui hac censura feritur ut nocens, revera sit innocens, excommunicatio haec à Doctoribus dicitur injusta; nec per eam excommunicatum coram Deo ligari docent. Neque enim ministri Ecclesiae potestatem habent coram Deo seu in caelis ligandi illum, qui non prius proprio delicto seipsum ligavit; aut gratia & donis Spiritus Sancti privare, qui in se prius Spiritum S. non extinxit.

XIII. Hinc illud Origenis relatum à Gratiano sub nomine S. Hieronymi Caus. 24. q. 3. Can. 4. "Si quis non recto judicio eorum, qui praesunt Ecclesiae depellatur, & fors mittatur, si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil leditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit: & ille foris, qui intus retineri videtur.

XIV. Et ex S. Augustino Caus. 11. q. 3. Can. 87. "Illud plane non temerè dixerim, quod si quisquam Fidelium fuerit anathematizatus injustè, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim sanctus, habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, immeritam nulli ingerit poenam.

Neminem itaque apud Deum nocentiorè aut pejorè facit, aut interioris gratiae Divinae influxu privat excommunicatio in innocentem lata.

XV. Hinc ulterius sequitur homini Christiano plus timendum esse qualecumque leve peccatum, quam qualemcunque injustam censuram: Quia homo Christianus ex fide vivens, nihil in hoc mundo timere debet, nisi quod sibi apud Deum nocere potest, Deumque sibi magis offensum reddere; quod per omne quantumvis leve peccatum contingit, non verò per excommunicationem quam quis injustè patitur. Ideoque homo Christianus debet esse paratus potius sustinere excommunicationis fulmen, quam aliquod peccatum committere; vel à veritate vel leviter recedere, aut veritatem erubescere metu excommunicationis.

XVI. Verendum alias ne similes sumus Principibus illis de quibus dicitur Joannis 12. v. 42. quod quidem in Christum crederent, sed propter Pharisaeos non confitebantur ut è Synagoga non ejicerentur. Ratio subjungitur: Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

XVII. Ad quae reflectens pius ac eruditus Auctor Compendii Moralis Evangelicae ait: "Metus calamitatis, injuriae alicujus excommunicationis nos perdere valet, quantumquidem multos forsitan Judaeos perdidit, de innocentia & divinitate J. Christi convictos. Nulli rei quae nobis ab hominibus auferri possit adhærere debemus, si volumus conservare quod solus Deus potest nobis donare. Potest animam salvare sine Sacramentis & extra exteriorè rem Ecclesiae communionem; non potest salvere quamdiu officio suo & obligationi illum aperte profitendi praesert, vel usum Sacramentorum, vel communionem istam exteriorè.

Hæc meritò expendent, qui metu incurrendæ alicujus qualicumque censuræ v. g. suspensionis aut interdicti ab Ecclesiasticis functionibus, veritatem agnitam publicè profiteri verentur.

XVIII. Hinc tamen nullatenus consequens est, injustam censuram semper posse palam contemni, ac negligi, & nullatenus esse timendam. Imprimis enim à subdito eatenus timenda Superioris sententia, ut eam expendant, vereaturque num eam propter suam culpam, quam ipse forsitan non satis apprehendit, non mereatur.



XIX. Hoc sensu intelligendum quod ex S. Gregorio refertur 1x. q. 3. Can. 1. Sententia Pastoris sive iusta sive iniusta fuerit, ut ex integro contextu S. Gregorii in Hom. 26 in Evangelia non obscurum est. Post relatum enim, non quidem iisdem verbis, sed eodem sensu prædictam sententiam, rationem timendi allegans, ait: "Ne is, qui subest, & cum injustè ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam & aliâ culpâ mereatur. Pastor ergo vel absolvente indiscretè timeat vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat. Ne est injustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.

Eatenus ergo duntaxat timendum esse injustam excommunicationis sententiam voluit ibi S. Gregorius, quod non temerè ac superbè & arroganter Superioris iudicium reprehendat, sed potius vereatur, ne forsitan pœnam suâ culpâ mererit.

XX. Adhæc, quia sæpè contingit, injustitiam censuræ esse ipsi excommunicato notam, sed publicè ignotam; neque facillè aliis probari aut persuaderi posse, etiam eatenus tunc censura ligare poterit, ut in publico ei se subjicere deberet; in quantum non obedientia in scandalum fidelium, injustitiam censuræ ignorantium, cederet, & Ecclesiæ ac Superiorum contemptum præ se ferret. Atque ita simili casu censura ligat solum in foro exteriori ratione scandali, quod ex ejus violatione oritur: quia, ut bene ratiocinatur Suarez in De Censuris Disput. 9. sect. 7. nu. 16. "Si scandalum, quacumque ratione cesset, & innotescat aliis qualitas sententiæ, & hominis innocentia, cessabit obligatio: ergo signum est, totam hanc obligationem esse ratione scandali vitandi." Hæc Suarezius, qui ibidem num. 17. nomen scandali hic accipi dicit, non tantum ut est contra charitatem, sed etiam contra obedientiam Ecclesiæ; cui multum derogaretur si talis censura publicè contemneretur. Et ideo hæc censura eatenus valida est, quod ob vitandū illud scandalum in foro exteriori revera servanda sit. Id est, ita se gerere debeat, in publico, sententiæ parendo, quousque etiam in publico de ejus iustitia ita constet, ut scandalum fidelium timendum non sit. Hoc sensu verum est, contingere posse ut ait Innocentius III. in Cap. 28. De Sent. Excom. Ut qui liber est apud Deum, Ecclesiasticè sit innodatus sententiæ

XXI. Si verò publica ac notoria sit censura injustitia, vera tunc erit sententia Gelasii Papæ apud Grat. Caus. 1. q. 2. Can. 46. "Cui est illata sententia deponat errorem, & vacua erit. Sed si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest unquam gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus respicit obligatum.

XXII. Porro cum quis Censuræ injustæ causâ vitandi scandali, aut amore conservandæ pacis ac unitatis Ecclesiasticæ se humiliter subjicit, ac exteriora detrimenta patienter sustinet, nullatenus ei exterior illa ab Ecclesiæ communicatione & Sacramentorum perceptione separatio nocebit, sed erit ad meritum ut ait S. Thomas. Et S. Augustinus docet, de bonis viris, quos divina providentia finit per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones, expelli de Congregatione Ecclesiæ, si hanc contumeliam, vel injuriam suam patientissimè tulerint pro pace Ecclesiæ; neque ulla novitates schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. . . . hos coronat, in occulto Pater, in occulto videns. Lib. de vera Religione cap. 6. Imo ut idem Doctor advertit, "spirituales homines hujusmodi adversis magis proficiunt; quia (inquit) cum aliqua adversitate vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam si intus permanent; cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solidâ unitatis petrâ fortissimæ charitatis robore radicantur." Lib. 1. De Baptismo contra Donatistas cap. 17.

XXIII. Si non tantum ad excommunicationis, sed quaslibet censuras attendamus, atque sub his omnem quancumque à sacris Ministeriis suspensionem, atque inter-

ditionem comprehendamus, non immeritò dicere poterimus, quod S. Augustinus verbis relatis ex libro de vera Religione subjicit, "Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt imò plura sunt quam credi potest, qui injustas censuras seu excommunicationis, seu suspensionis, aut interdicti, sincerissima charitate pro pace Ecclesiæ patientissimè sustinent.

CAPUT VI.

Excommunicatio non nisi in contumaces ferenda & de excommunicatione lata sententiæ;

1. Excommunicatio non infligenda ob peccatum etiam grave nisi inobedientiam adjunctam habeat.
2. Id convenit pristinæ Ecclesiæ disciplinæ.
3. Hæc disciplina ex traditione Apostolica tanquam conformis verbis Christi descendisse videtur.
4. Etiam jure Decretalium requiritur competens monitio prævia.
5. Monitio competens dicitur tertio facta.
6. Ut monitio sit competens, debent monendi nominatim exprimi.
7. Debent monitiones fieri cum diem aliquorum intervallum.
8. Quantum debeat esse hoc intervallum?
9. Permissi Concilio Lugdunense, unam monitionem fieri pro pluribus; & qua forma hæc fiat?
10. Synodus Tridentina vult saltem binam monitionem præmitti.
11. Formula excommunicationis in Pontificali Romano suppeditat unam monitionem.
12. Necessitas præmittendi monitiones non videtur consistere cum excommunicatione lata sententiæ.
13. Doctores agnoscunt hic difficultatem.
14. Propositur quorundam solutio difficultatis.
15. Solutio hæc difficultatem non tollit.
16. Videtur mens Ecclesiæ esse, ut peccator nominatim de suo peccato moneatur antequam excommunicetur.
17. Eandem difficultatem vidit & proposuit Gersonius.
18. Quomodo eam Gersonius evadere studeat?
19. Multis sæculis videtur excommunicatio lata sententiæ fuisse ignota.
20. Merito dubitatur, num in Decreto Gratiani ulla talis occurrat.
21. Labentibus sæculis harum excommunicationum numerus multum crevit.
22. Incommodum hujus multiplicationis exaggerat Godscalcus Romanus.
23. Quid in his emendari conveniat, expendere debent Ecclesiarum Prælati.
24. Indubitatum, graviolem causam requiri in excommunicatione lata, quam ferenda sententiæ.
25. Excommunicationes lata sententiæ demum obligant, dum leges debite sunt promulgatæ.

I. D excommunicationem, saltem quæ ab homine fertur, non solum requiri peccatum mortale, illudque grave; sed insuper necessarium esse ipsius excommunicandi contumaciam, quæ Ecclesiam monentem audire renuit, satis significat Christus Mate. 18. declarans tum demum excommunicandum sive rescindendum tanquam Ethnicum & Publicanum, si Ecclesiam non audierit. Ut enim rectè advertit pius Joannes Gersonius De Vita Spiritualis lect. 4. coroll. 14. "Dum semper est paratus audire Ecclesiam, cur habebitur sicut Ethnicus & Publicanus? Cur ab ea abscindetur? unde & ibidem dicit, expetiens esse, nullam excommunicationis ferri sententiam, nisi pro manifesta contumacia, qua se monstrat aliquis audire Ecclesiam non paratum.

II. Id satis consonum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, quæ triam monitionem præmitti voluit sententiæ excommunicationis.

Sic Synodus Oecumenica Ephesina in sua relatione ad Religiosissimos Imperatores de depositione Nestorii, postquam exposuisset, eum secundo vocatum renuisse Synodo se sistere, subdit: "Porro autem cum Canonibus præscribant, tertio quoque contumacem esse admonendum, missis iterum aliis ad illum Episcopis, durum & immergerum eundem invenimus." Tomo 3. Concil. General. col. 570.

Dioscorus quoque in Concilio Calchedonensi ante excommunicationem ter vocatus dicitur; idque secundum sanctos Canones Tomo 4. Concil. General. col. 421.

III. Hanc

III. Hanc disciplinam ex Apostolica traditione tanquam verbis Christi consonam ad nos pervenisse admodum verisimile est. Nam uti advertit Suarezius Disputat. 3. sect. 9. "Jura quæ de illo (Jure triam monitionis) loquuntur, non significant illud de novo statueri, sed illud supponere, ut perpetuò in Ecclesiâ observatum." Unde & in Can. 15. can. 16. q. 7. apud Gratianum sub nomine Concilii Rothomagensis, statuitur, ut "decimas solvere nolentes, secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel & secundo & tertio, qui si non emendaverint, anathematis vinculo feriantur.

IV. Hinc nec Jure novo ab hac disciplina recessum est. Et quidem in Cap. 48. De Sententia excommunicationis Concilium Lateranense sub Innocentio III. prohibet sententiam excommunicationis à quocumque Judice proferri, nisi competenti monitione præmissa. Et in Cap. 3. De Sent. excomm. in 6. non nisi post monitionem Canonice & in Cap. 5. eodem in 6. dicitur, Excommunicationes quascumque absque competenti monitione præmissa promulgatas esse injustas.

V. Monitio competens passim à Canonistis post Glossam ad dictum Cap. 48. verbo Competenti, intelligitur triam monitio; quæ expositio ubique recepta est.

VI. Utque hæc monitio sit Canonica, voluit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Cap. 9. De Sent. Excommunicat. in 6. "ut inter monitiones quas jura statuunt præmitti, Judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus observent aliquorum dierum intervalla: nisi facti necessitas ea suaverit moderanda.

VII. Notat hic Glossa, "quod tres monitiones, quæ debent præcedere excommunicationem, debent habere intervalla: nec possunt fieri continuè: & ad minus inter quaslibet monitionem debent esse duo dies: ex quo textus loquitur in plurali.

VIII. Verum cum consilium numerum dierum non expresserit, apparet, illud dierum intervallum requisivisse, quod attentis circumstantiis Judex arbitrabitur sufficere vel requiri, ut de contumacia sive inobedientia seu rebellionem excommunicandi sufficienter pateat: quod & Glossa ibidem verbo Competenti, indicat, dicens: "Hoc Judex moderabitur pro personarum & negotii qualitate.

IX. Permittit autem Concilium Lugdunense, quod Judex uti queat una monitione pro tribus quod delumptum apparet ex Jure Civili, quo permittitur Judici in L. 72. ff. De iudiciis, uti uno edicto peremptorio citatoriali pro pluribus, Hæc autem monitio duplici formâ fieri solet secundum Glossam; "Interdum (ait) sic: monemus te quod usque ad diem talem pro primo, talem pro secundo, talem pro tertio, &c. Interdum unam tantum dat dilationem, ut monemus te quod usque ad talem diem pro primo, secundo & tertio peremptorio à communione talis &c. Et hoc ultimo casu est intervallum inter monitionem & sententiam; nimirum tale, quod sufficiat, ut convincatur contumax.

X. Verum quia hæc potestate Judices Ecclesiastici non satis circumspectè uterentur; sed sine ulla prævia monitione ad excommunicationem levi ex causa non raro proferrent, Synodus Tridentina Canonice disciplinâ reducere, quantum temporum durities patiebatur, desiderans, voluit, ut Judex ad excommunicationem non procedat, nisi delicti qualitas, præcedente BINA saltem MONITIONE, etiam per Edictum, id postulet. Sess. 25. De Reformat. cap. 3.

XI. Quin & in formula excommunicationis quæ extat in moderno Pontificali Rom. protestatur Prælati excommunicans: Monimus enim excommunicandum canonicè primò, secundo, tertio & etiam quarto, ad ejus malitiam convincendam, ipsum ad emendationem, satisfactionem & penitentiam invitantes; & pœno affectu corripientes.

XII. Sed quæ de præmittenda monitione competenti habentis dicta sunt, consistere non videntur cum excommunicatione quæ vulgò dicitur lata sententiæ; id est, quæ ipso facto, sive ipsa admissione delicti sine ulteriori sententia Judicis, per ipsam Legem inferitur; quæ hæc similive formâ exprimi solet: Qui hoc illudve fecerit sit ipso jure, vel ipso facto excommunicatus Opponitur autem illi quæ vocatur ferenda sententiæ, id est, quæ non incurritur, nisi à Judice feratur; soletque hæc formulâ exprimi: qui hoc illudve fecerit, excommunicetur, vel præcipimus sub pœna excommunicationis.

XIII. Sanè fatendum est, difficile satis videri, qua ratione disciplina de triam monitione præmittenda consistat cum excommunicatione lata sententiæ; aut quomodo aliquis nunquam speciatim monitus queat tanquam rebellis ab Ecclesiâ abscindi, & haberi ut Ethnicus & Publicanus,

XIV. Respondent quidem nonnulli, qui non obediunt Legi prohibenti quidquam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, præsertim si eam non ignoret, sufficienter censetur contumax & rebellis ipsi Ecclesiæ: adeoque aliâ monitione non eget; ipsaque lex pro monitione est.

XV. Verum quidem est, legem quancumque monere subditum de obedientia legis; atque non obedientem constituitur legis prævaricatorem: At quod sola legis transgressio aliquem constituat ad mentem Christi & Ecclesiæ contumacem & rebellem, ita ut tanquam talis ab Ecclesiâ corpore rescindi possit, non satis apparet. Videtur etenim quod Christus voluerit ut peccator seu transgressor legis primo de suo peccato moneatur, & si iteratò monitus Ecclesiam non audierit, tunc demum tanquam putridum membrum, de cujus sanatione quodammodo desperatum est, abscindatur à corpore Ecclesiæ, ne reliqua membra inficiantur.

XVI. Hanc quoque fuisse mentem Ecclesiæ non obscure innuunt Canones quibus præscribitur, ut triam monitio excommunicationi præmittatur, dum inter ipsas monitiones etiam temporum intervalla servanda mandantur: quod clarè supponit, Canones illos intelligi non posse de monitione quæ sola legis ac pœnæ denuntiatione fieri dicitur: quandoquidem hæc nulla temporis intervalla admittat.

XVII. Eandem difficultatem vidit, & proposuit Gersonius loco citato dicens: "Cæterum dum aliquis ex ignorantia tanquam culpabilis, aut ex infirmitate & passione vitiosa, non tamen contumaci, facit aliquem actum pro quo est statuta sententia excommunicationis lata sententiæ ab aliquo Prælatorum, videant Juristæ & Judices, si talis possit dici excommunicatus ipso facto: cum semper sit & fuerit promptus stare correctioni Ecclesiæ super suo delicto, prout supponitur: quia non ex contemptu Clavium & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed aliunde motus, malum fecit. Non enim quælibet inobedientia, contumacia reputatur.

XVIII. Hanc difficultatem ut evadat Gersonius docet ibidem, prout accepit à suo Præceptore, "eas excommunicationes (late sententiæ) tantummodo operari ut absque processu alio, aut nova constitutione possit Judex statim probato facto vel confessato ferre Juris sententiam & eandem publicare, non sic ibi Canones essent solum ferendæ sententiæ; quoniam monitiones & processus secundum terminos Juris prærequirerentur multiplices.

XIX. Quidquid sit de hac Gersonii solutione & expositione, hoc sat constat, quod per decem facile sæcula ignota fuerit hæc species excommunicationis: ita ut in Canonibus paulò antiquioribus nunquam legantur hæc aut similia verba: si ipso facto excommunicatus: qui id fecerit ipso jure excommunicationem incurrat: sed tantum: si quis id fecerit excommunicetur, deponatur &c. quibus ut consentiunt Canonistæ & Theologi, non exprimitur excommunicatio lata sententiæ sed ferenda duntaxat.

XX. Si decretum Gratiani revolvatur, atque formulæ quibus excommunicatio exprimitur, ritè expendantur, nescio, utrum vel una reperiretur excommunicatio lata sententiæ.

Dicitur